

R^dissime et Illustrissime Domine.

Controversia illa inter me, et P. Serarium, quem vivum colui, et mortuum quoque unicè amo, amica prorsus fuit, privatisque literis agitata; nisi quod postea in primo tomo Defensionis publicè indicavi, quid de prologo in Ecclesiasticum (nam et hunc apocryphis accensebat, tametsi postea manus dedit P. Serarius) et de praefatiuncula in Threnos sentirem. Fateor autem me praecipuè nixum praefatione illa in biblia nova. Nam licet crederem eam auctoritate Pontificia non esse praeditam: cogitabam tamen, non nisi sciente et consentiente Pontifice praefixam. Et hac cogitatione instructus ita ratiocinabar: Aut verum dicit illa praefatio, cum dicit, nihil non canonicum, nihil adscititium, nihil extraneum appositum esse aut falsum. Falsum dicere, non crediderim. Si verum; habeo, quod volo. Sed gaudeo mihi a R. diss. a et Illustriss^a D.V. veritatem patefactam esse. Nec cupio, ut quae P. Serarius in prolegomenis biblicis (quae legi, priusquam Romam irent) contra propugnatorem Bellarminianum, et contra P. Delrium disserit, expungantur. Velle suum cuique est, nec sensu vivitur uno. Haeretici necdum furere desinunt contra ~~tomos~~ Illustriss^{ae} D.V. Nuper prodiit Antibellarminus Conradi Vorstii calvinistae Steinfurtensis in Westphalia. Doctrinam quatuor tomorum proponit methodo Raméa, hoc est, inscitata et tenebricosa. Absolvit quoque Samuel Huberus, praedicans Lutheranus longe clamorissimus, suum Antibellarminum libris sex. Prodiit etiam non ita pridem Ioannes Urbanus Harlemensis minister Calvinianus in Geldria, qui primam controversiam notis insectatus est; et similes nugas pollicetur in reliquis controversias. Sed video istos venisse ad fundum, et iam nihil nisi foeces adferre; licet priores quoque adversarii admodum fuerint foeculenti, praesertim Dannaeus. Deum precor, ut R^dissimam et Illustrissimam D.V., tametsi, ut scribit, iam senio gravem; diu adhuc ecclesiae suae ad haeticorum confusionem, superstitem esse velit; cui proculdubio, ob tam insi-

/ gnes adversus sectarios lucubrationes copiosa merces in coelo re-
posita est. Ingolstadii 5 iulii 1610.

Rev^{dissimae} et Illustriss^{ae} D. V.

indignus in Christo servus,

5 Iacobus Gretserus.

München. Reichsarchiv. Jesuitica in genere. Fasc.19.M.326. Origin

autogr.

Adresse:

R^{dissimo} et Illustrissimo Domino Roberto Bellarmino S.R.E.Cardinali

amplissimo.

(cachet de la c^{ie})

10 Romae.